









XL

De  
O P I B U S

*arbitrium*

CHRISTIANI GUEINZII  
Gymnasii Hallensis  
Rectoris.

1 6 3 7.

---

Excudebat Hallis Saxonum PETRUS  
FABER Typographus.



31  
*Scal. Epid. V. pra. 6.*

Si dicitur à pecude ipsa pecunia; rectè  
Fiet, pecus ut habeat, quod suum vocavit.  
Nam si vera loquar, auferre pecunia mores,  
Non auferre solet, ait *Galterus lib. 1. Alexan. v. 96.*

*Interim*

Uxorem cum dote, fidemque & amicos,  
Et genus & formam *regina pecunia* donat *Horatio*  
*teste lib. 1. Ep. 6. v. 36.*

*Quin*

Quisquis habet nummos, securam navigat auram  
Fortunamque suo temperat arbitrio, quod *Arbi-*  
*ter Petronius* ait.





quasi Hercules est bivium, aut si bivio hoc  
quidpiam in vium & avium magis, quando in  
consensu Sapientum & consensu Prudentum  
ambigitur de optimo paradarum opum modo,  
& paratarum usu. Etenim quum humana imbecillitas  
natura feratur in hoc, ut, quia nuda à seipsa & praeter  
animantibus inops omnium, sit sollicita, tamen vel  
maxime, quae trahat Spiritum, si non felicissime, egerri-  
me tamen, ne pereat & intereat. Et quamvis divinior  
aura ad caelestia & aeterna aspirare & eadem sperare  
deberet, tamen nescio qua imprudentia, non dicam im-  
pudentiam, tanquam aeterna natura inter mortalia, & man-  
surus inter caduca caenum caelo sepiissime praefert; & sui  
oblita generis mavult divitiis uti fugacibus inter vitia,  
quam beatis frui deliciis inter virtutes. Et ne dubitet  
quispiam nos à vero divortio, vindicat fidem seculum in  
quo vivimus: Quod an aureum, an ferreum dixerit ille,  
qui experitur utrumque; Auro quidem inhiare omnes à  
Crasso ad Irum, à Sejo ad Mævium mundus loquitur &  
conqueritur universus. Eccur enim tot geruntur bella?  
cur tot scelera committuntur? cur tot mala permittuntur?  
Auri lacra famēs, quid non mortalia pectora cogis?  
Sacram merito Poeta appellat. Ut quod magis colitur,  
quam ipse qui largiri solet & potest solus. Venalia certè  
sunt apud plerosque pleraque, si non omnia. Status per lustra  
qui haeres, & nos oraculo verior à aixisse testaberis. In.



caelo quidem reposita dicitur merces iis, qui à sacris sunt,  
sed pauci volunt illam expectare. Hinc vendunt  
aliaria, scelera licentur. Taceo illos, qui fidem lu-  
xant laxantq; non ut meliores, sed ut ditiores eva-  
dant & pro vilissimo pulmento abliguriunt prerogati-  
vam. Quamvis modò multinec tabernas, nec em-  
ptores inveniunt amplius.

Magistratus quidam aequè ita magistrat Rempu-  
blicam, ut magis magisq; rem privatam exhauriat o-  
mnem. Hinc tot extorsiones, tot exactiones, tot census,  
ut ferveat & sudet omne in censibus. Et tolerandum  
foret, si modo censerentur pauperes non aequè ac divites.  
Et tamen certo illi plus, quàm isti; ne forsan illi habeat  
quo non maneant, quod semper fuerunt. (Et utinam ex-  
staret. Hybreas aliquis, qui ab huiusmodi crumemi  
mulgis & argenti extere bronidis postularet uno anno,  
uti illi census, astates aliquot & autumnos!) Res omnis  
illis cum pulvisculo auferitur, & sepè tamen propter ci-  
neres censentur. Ita fumariū tributū reperit Nicepho-  
rus Imperator: Michael Paphlago vectigal pro aere.  
Pro umbra de pensum esse meminit Plinius. Lustrali au-  
ro Cai quid fingi potest foedius? Vespasianus non tan-  
tum à mendicis, sed & lucri bonum odorem ex qualibet  
re esse attestatus filio. Propter pensitationes pro mortuis  
solutas Bountica Britannica Romanos arguit. Etiam  
pro vitis corporis narrat Gilbertus Cognatus. Sed vel  
Fabi



Fabium possent de lassare loquacē, si singula recensenda  
& censenda forent compendia aucupandi pecunias. Quo  
verò cum lucro factum experti plurimi, dolent maximi.  
Philistus è Dionysii familiaribus à Syracusanis truci-  
datus. Johannes Bizantius à Nicopolitanis in frustra  
discerptus. Procleus lapidatus. Gregorius Prescho  
Heinrici Svecorum Regis minister à populo in palatium  
irrupente omnibus tormentorū generibus cruciatus.  
Quod Gerhardus Bremensis Archiepiscopus exactores  
in molendinum relegaverit, ubi asinorum vicarias ope-  
ras sustinere coacti donec ambusta manus cum bullis &  
decretis pecuniariis Patrum novit memoria. Quin  
Rebuffus ait: Consulentes Principi & Magistratu ut  
nova imponāt tributa & vectigalia sine causa magna  
sunt in inferno excrucianti poenistartareis perpetuo.  
O avaritiam igitur! o abyssum! sed & o stultitiam! o malitiam! Ne si non re-  
frænaverit hanc ingluviem melius seculum, aureum omnino erit, si vota esti-  
mentur univrsorum; ferreum tamen si facta singulorum considerentur. Hic  
enim misericordia in miseris nulla; hic auxilia in periculis smortua; Praesi-  
dia in latrociniis & rapinis pauca; subsidia in calamitate & paupertate man-  
ca & exigua. Ubi plures tamen auream messem & Elysiōs Campos ex com-  
munibus miseris demerunt. o seculū! o seculi propudium! Ne plus hodie tribui-  
tur magnis opibus, quam bonis moribus! Vilissima nunc munia maximo ere  
constant, ingeniosissima & gravissima minimo conducuntur ac fame pleriq; sa-  
ginantur. Fœmū bovi, psittaco saccharū datur. Et non sint durissima & sevisima  
pectora? non sit indicina si non interituri mundi, status tamē publici & privati?  
Interim tamen cum pecunia rerum agendarum nervus, que Mutiani  
magni Ducis ad Vespasianum, & Ciceronis magni Oratoris verba sunt; &  
eā in hac societate mortali, Tres Rutulusve suat, nemo carere possit; modus  
quis optimus sit conquirendi, quis usus earundem ancipitium est, & opi-  
nionum.



tionum divortium. Spongias qui volunt ditiores, illi aequè exprimendi; qui honores divendunt, omni honore indigni, quos simonia infamat; qui pecuniam adulterant, mentem geminam habent; qui & latronibus latrocinia concedunt & de communi dividendo agunt, rotam merentur; Qui subditos deglubunt qui modo habere possunt? Qui mercibus mercantur divitias, & delictis, rarò beati. Ubi enim divitiarum chara habentur, ibi bona omnia vilia sunt. Quin facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum DEI. Severum hoc quidem est & tamen verum, quia dixit ille, qui fallere nescit. Creditis? Sequemini. Non sequi, non credere est. Aut enim transire dives eum camelo debes, aut regnum DEI desperare. Decretoria est magni DEI sententia quam ille non mutabit, nec tu, ó homo incredula tua pertinacia & perversitas.

Et quid ergo, inquires faciendum? **ORANDUM & LABORANDUM,** ut unusquisque habeat quo det pauperibus. Uti enim non omnes divitiarum improbae, ita nec omnes modi acquirendi illiciti. Hoc tamen bonum quod beati pauperes; quodque illi magnam habeant cælo concessam prerogativam, qui ex fide esurientibus cibum, sitientibus potum, exulibus hospitium, nudis amictum præbuerunt. Ita agnoscit etiam DEUS ex divite manu beneficium & remuneratur. Sane magna dignatio pauperum, arrogari in præmium DEO; sed & magna divitum, tam parvo cælorum regna parari. Ideoque quid attinet aut in prima felicitatis parte divitias, aut in ultimo miseriarum statu paupertatem ponere? quum illius frons hilaris multis amaritudinibus sæpe sit reserta, & hujus horridior aspectus solidis & certis bonis abundet? Hoc agamus ut ubique beati simus? Queramus prudenter & pie! utamur iisdem sapienter & recte!

Vos, Viri omnium ordinum spectatissimi, de utroque de modo & usu memoriter dictari sunt potissimum hoc tempore auro & ferreo vestri filii & alumni. Vultis ut feliciter? Animate præsentiam vestram vestros, & informate autoritate & frequentia honorifica Juventutem, ut quod dicunt modo Juvenes faciles, faciant aliquando Viri & senes prudentes. Et futurum ut quam promittit status publicus felicitatem cum pacis inter usurio consequamur. Ad quod animum vovet & P. P.

Nomina



Nomina Consultantium.

- WOLFFGANG Hoffmann Hallâ Saxo, Prefabitur.  
JOHANNES Schinckel/ Luccâ-Lusatius. Pecuniam à sul ditis esse extor-  
quendam asserit.  
NICOLAUS Krug/ Zahnensis-Saxo, De Principis potestate.  
MARTINUS Seger/ Wusterhuso-Marchicus, De Patriâ Patrie amore.  
JOHANNES Conitzer/ Zittâ-Lusatius, De Magistratus Axiomate.  
CHRISTOPHORUS-ANDREAS Werck/ Hallâ-Saxo, De Divitia-  
rum contemptu.  
CHILIANUS Freyer/ Hallâ-Saxo, Non omnino esse spernendas opes.  
JOHANNES-BARTHOLOMÆUS Klinge/ Hallâ-Saxo, Mercatu-  
râ esse acquirendas divitias.  
JOHANNES SAMUEL Brunner/ Kintingensis - Francus, Contra  
Mercaturam.  
JOHANNES-ANDREAS Schulze/ Hallâ-Saxo, Concludet.

De quorum Exercitiis.

I.

**N**on nisi præfatus veniam, veniamque precatus  
Audet in aularum dicere verba locis.

HOFFMANNUS præstat, faciles dum præparat aures  
Euopies ad opes, Eutychieque modos.

Perge probare tuos mores HOFFANNE! juvabunt  
Aulicus ut fias, dives ut esse queas.

2. **D**at census censum; summos dat census honores,  
Census ubique calet, census ubique valet.

Non far, non pernam, sine censu mandere turba  
Subdita jure solet, jure tenere potest.

SCHINCKELIUS probat; & pro Principe dicit. Id urge!  
Princeps divitias cum petasone dabit.

3. **M**agna quod in terris Majestas Principis; & quod  
Inservire Diis debeat omne suis:

CRUGIUS affirmat. Vis CRUGI fundere Nectar?  
Perge! tibi poculum vel Ganymedis erit.

Sic



4. **Q**ui Pater est Patriæ princeps, ita jura paterna  
Dirigit ut vigeat publica, priva salus.  
Sic SEGERUS ait. Pergas SEGERE! notabit  
*Clefsannus patriæ qui Pater esse queas.*
5. **J**ura Magistratus sunt maxima; suntque futura  
Mercedes magnæ, si quoque Jura probat.  
Hoc LONICERUS habet. *Mercedem visne? probato*  
Jura Magistratus! qui facit ipse habet.
6. **Q**uid sunt divitiæ? sunt pars vilissima rerum,  
Sunt animique cruces, divitiæque truces.  
MERCKIUS ista notat. MERCKI mi, perge notare.  
Næ cum divitiis & DEUS omne dabit.
7. **S**pernere divitias solet inscius; esse probantur  
Commoda magna rei, munera magna DEI.  
Queis sine liber erit nullus si tempora spectes,  
Ceu FREYERUS ait. Sint tibi! liber eris.
8. **S**i tinnit nummus facilis mercator adhinnit;  
Est mercatura tinnula mensa, manus.  
Vis nummos? Mercaturam ne spernito, KLINGE:  
Nam tibi divitiis deliciasque dabit.
9. **E**x mercatura ceu fonte perennia manant  
Flumina periuri, fraudis & omne genus.  
Id BRUNNERUS habet. Tibi mercatura probatur  
Mentis? divitiis, fons velut, ista scater.
10. **Q**uisquis concludit rerum divortia vota,  
Et lites dirimit conciliatque graves:  
Is bonus est Prætor. Pergas ô SCHULTZIA proles  
Sic arbitrari! Prætor erisq; bonus.

*Ita censeo*  
Gucinzus.

**F I N I S.**



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

VD 17











XL

De

# O P I B U S

*arbitrium*

CHRISTIANI GUEINZI  
Gymnasii Hallensis  
Rectoris.

1 6 3 7.

---

Excudebat Hallis Saxonum PETRUS  
FABER Typographus.